

five moduli capacitatem non ampliùs explebant &c. prolixius confirmat *Montanarius* p. 18. & seqq.

3. Ex impetu ruptorum vitrorum & effractarum lachrymarum evidens esse, partes ita dissilientes antea fuisse in statu tenso & violentæ cujusdam distractionis; prout e. g. videmus arcus tenso, aut fides testudinum violentius extractas, ubi vel ruptâ chordâ aut relaxatione subitanâ libertati suæ restituuntur, cum impetu in seipsa resilire.

4. Vitrum etiam, tamen si rigidæ satis & fragilis naturæ, aliquam tamen etiam tensionem sine fracturâ subsequente aliquandiu sustinere posse; id quod equidem experimento obvio & vulgari constare facile cuivis potest, quando arcuata poculorum fractorum frustra instar balistarum aliquousque coarctare aut flectere etiam in partem oppositam sensibilibiter licet; à *Montanario* verò p. 60. exemplo filamentorum è vitro tenuiorum, quæ levi manu tertiâ, quartâ &c. unius digiti parte ultra priorem 45. palmorum Romanorum longitudinem extrahi se passa sunt, sibi que relicta priori extensioni subito se restituerunt.

5. Denique, quemadmodum corpora mollia & minis rigidæ texturæ receptos ictus circa sui principium statim absorbent, neque longius ad remotiores partes transmittunt, quòd anteriores in poros interjectos laxiores retrocedere successivè & hoc pacto impetum extinguere valeant; sic longius per ligni partes communicari impetum tametsi successivè decrescentem, ita ut unâ mensæ extremitate percussâ, omnia superimposita simul contremiscant; ampliùs autem in ferro, præsertim temperato & rigidiorè: Ut necessum sit, si corpus aliquod sit naturæ valdè rigidæ, cujus unæ partes alteris nihil cedere sensibilibiter nec impetûs recepti partem aliquam absorbere possint, hunc totum per omnes partes æqualiter effundi, ac tantundem percussiois in remotioribus & extremis sentiri, quantum anteriores ac primæ immediatè receperant.